

nem: stylobatisq; adiectio, quæ fit per Scamillos impares, ex descriptione qua supra scripta est in libro tertio sumatur.

EX GVLIELMI PHILANDRI
in Vitruuium annotat. l. 3. cap. vlt.

S Camilli hic & libro quinto capite nono, videntur dicti quasi gradilli: quid autem significant in stylobatarum adiectione, non liquet, & descriptione pollicebatur Vitruuius designaturum se extremo hoc tertio libro, sed perijt, ut illa de adiectione in mediis columnis proximo capite promissa, & alia multa, quas recensuimus libro primo capite sexto. Si quid postea iudicium aut anni afferent, non inuidebimus studiosis eam utilitatem. Me profecto nequicquã pœnitebit mei si huic authori instructissimo, sed lacero, & obscuro, aliquid opis attulero, nam locis, omnibus lucem asserre, prorsus est facultatis & eruditionis maioris quam in me profitear. Exortetur spero aliquis, qui meo exemplo excitatus, id præstabit, aut fiet ut atas ventura demat eis tenebras.

Item libro quinto capite nono.

Ampliauimus libro tertio cum diceret, ita ex æquari oportere stylobatas uti haberent per medium adiectionem per scamillos impares. Quid verò iam tunc suspicaremur, libet hoc loco exponere: nam fortasse non fallat à diuinatione petitum auxilium. Quid enim huiusmodi in rebus aliud facias? Eandem planè habuisse in stylobatis rationem Vitruuium, quam in columnis putabamus. Atqui ex eius sententia (perierat enim promissa deformatio) demonstraeramus, columnis veluti ventrem adiaci, ut intumescerent in medio, capitibus summo, & imo contractis & diminutis. Itaque cum intelligeremus Athenis vrbe Græcia vetustissima, etiam hodie ostendi stylobatas ad basis plinthe latitudinem non respondentes (quæ alioquin forma est, & pulcherrima, & Romanis perpetuo usurpata) sed contractos, existimabamus Græcorum consuetudine per scamillos impares, id est, ceu gradibus quibusdam, fieri adiectionem in mediis stylobatis, hoc est, fieri ut gradatim à supremis atque infimis partibus quadratorum, quæ coronicibus suis & basibus clauduntur, medium versus subturgerent &

adauge-